



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Alba Augia Brigantina, sive Monasterium Brigantium; quod vulgo
Majorem Augiam, Germanicè die Mererow appellant, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

anno iii Atq; Lycum. Tunc Augustane in moenibus Urbis
 Imperii Cesar dum Sacra negotia tradat:
 Praepositum legere inter se, qui prius iffi
 Excessere loco, Rulandum. Hunc Carolus omni
 Tantopere adjuvit virtute & dexteritate,
 Tamq; diu, donec Ulricus singula Princeps
 Redderet h.ec, alienarat quae aliquando, & in usus
 Transtulerat proprios seclares atq; prophanos:
 Sic demum Rulandus amans Pietatis & Artis
 Canonorum iterum cætum collegit honestum:
 Instauransq; Lares in multis partibus istos,
 Hanc fundamentis ex imis condidit aedem
 Quam coram cernis. Tu quisquis es (oro) Viator,
 Leta precare viro humano, patriq; verendo.

Alba Au- ALBA AUGIA BRIGANTINA, sive Monasteria Brigantinum; quod vulgo Majorem Augiam, Germanice die Mererow appellant, ac vetustius aliqui esse censem, quam est Abbatia Sangallensis: eo quod S. Galli adhuc non procul inde monstretur Oratorium, Sacellum videlicet omnino humile & exiguum, in montanis supra Bregantum situm, & ante pauculos annos à Brigantini oppidi cive quodam, & Imperatore Capitaneo Joanne Schnabelio renovatum: ubi visuntur nostra adhuc ætate cavernæ scopulis incisæ, in quibus cubasse Venerandus senex dicitur, quas ipse & vidi & contrectavi. Id inquam Brigantinum Monasterium, ad Bregantii amnis in Lacum Acronium incursum amoenissimo loco situm, olim & Monachorum & Monialium Cœnobium, nunc vero abolitis Monialibus Monachorum saltem D. Benedicti institutum profitentium Abbatia insignis & opulenta, fundata (ut nunc eft) legitur anno Christi 1098. ab Udalrico Rhetorum & Bregantiae nobilissimo Comite, avo videlicet nobilissimi Comitis Rudolphi a fundator. Pfullendorff. Dedicatum est templum, egregie ab solutum, ab Ulrico Constantiensi Episcopo, Comite à Dillingen. Tunc temporis Rudolphus ille a Pfullendorff ita liberaliter dotavit Augiam

Augiam Brigantinam anno Christi 1102. ut à Cœnobitis hodie adhuc secundus ejus fundator prædicetur: is Comitatum Bregantinum à matre sua Domina Elisabetha, hæreditario jure acquisivit, & advocationem Curiensis Rhetiæ feudo, etiam obtinuit ita, ut omnium circumiacentis terræ Regulorum longe esset opulentissimus. Fundatoris Udalrici conjunx Bertha, filia fuit *Bertha*, Rudolphi Rheinfeldiæ Comitis ac Suevorum Ducis, Romano-^{Udalrici} rum Regis, ejus videlicet, qui in Saxonia bellum contra Imp. ^{conjugum}. Henricum quartum gerens, occubuit Morsenburgi in Thuringia. Hæc liberalissima hujus Cœnobii fuit benefactrix, ac in eo cubare creditur. Sunt enim ibi in ipsa Beatorum Petri ac Pauli Basilica Augiensis, duo maxima ac augustissima sepulchra, sed qui aut quales ibi cubent, ne ipsi quidem ejus loci Cœnobitæ noruntur. Sunt enim tumuli sine inscriptionibus, sed tamen amplissimi, & e solidi marmore facti, nullis etiam Spirensis templi Imperatoriis monumentis cœssuri. Benefecerunt huic Cœnobia Comites Montis Fortis, Domini Bregantiae: quorum ibi in D. Virginis Sacello magnificum etiam mausoleum conspicitur, cum gentis insignibus appictis & insculptis. Rudolphus ^{Udalrici} fundatoris filius a Beato Presbytero Marbodone admonitus, dedit Monasterio Alberschwendam Parochiam ^{Alber-} moris Bregantini præpotentem cum omnibus ad eam pertinen-^{schwen-} tibus juribus, prædiis ac bonis. Abbates ejus loci fuere hi, da. quos ex martyrologio loci excerpti ipse, sine annorum gubernationis certo numero.

- | | | |
|------------------------|-------------------------|----------------|
| 1. <i>Mengosus.</i> | 11. <i>Antonius.</i> | <i>Abbatum</i> |
| 2. <i>Gernodus.</i> | 12. <i>Burcardus.</i> | <i>catalo-</i> |
| 3. <i>Schwiggerus.</i> | 13. <i>Bertholdus.</i> | <i>gus.</i> |
| 4. <i>Meinhardus.</i> | 14. <i>Ulricus.</i> | |
| 5. <i>Diethmarus.</i> | 15. <i>Conradus.</i> | |
| 6. <i>Arnoldus.</i> | 16. <i>Albertus.</i> | |
| 7. <i>Marquardus.</i> | 17. <i>Henricus.</i> | |
| 8. <i>Hermannus.</i> | 18. <i>Udalricus.</i> | |
| 9. <i>Gebhardus.</i> | 19. <i>Theodericus.</i> | |
| 10. <i>Dietericus.</i> | 20. <i>Rudolphus.</i> | |

B 2

21. An-

Bruschiij

Chronolog.
Monasteria
rum Germaniæ

S. III

21. *Andreas* interfuit Concilio Constantiensi.

22. *Jodocus Cellarius*, qui præfuit anno 1422. Et est testis fundatæ Cervorum Vallis vicini Monasterioli. Decessit ex hac vita anno 1437.

23. *Henricus Hentzius* præfuit 25. annis, & decessit anno Domini 1462.

24. *Albertus* obiit anno 1470. cum præfuisset annis 8.

25. *Joannes Gruel* obiit anno 1472.

26. *Joannes Eltzius* præfuit triginta annis, & cum propter ingravescens senium inutilis esset gubernator, amotus est anno 1502.

27. *Georgius Magirus* Constantiensis præfuit annis octo. Obiit anno 1510.

28. *Gasper Haberstrobe* Bregantinus præfuit annis undecim. Valedixit huic vitae mortali anno redempti orbis 1521.

29. *Joannes Schobloch* Brigantinus, præfuit annis 12. & obiit anno 1533. Incepit egregie reaificare penè collapsum Monasterium: sed præventus morte, nihil eorum, quæ inchoarat, absolvit.

30. *Illricus Moetz* Dorenburanus ex pago prope Amy-
sium sito, eligitur anno Christi 1533. Egregie absolvit ea quæ inchoarat antecessor. Præest currente adhuc anno hoc 1550. optimus Oeconomus.

In hujus Monasterii vicinia ipso videlicet suburbio Brigantino est Dalbacense Coenobiolum ad Taliū rivum situm, in quo Moniales tertiae Regulæ Francisci habitant. Supra Bregantum ad ipsum memoris Brigantini initium sita est Cervorum Vallis, Coenobium Monialium, Ordinis D. Dominici, ad aquas Bregantinas & Kendelbachium pagum. Id fundatum legitur S. Joanni Baptista ac laudabili S. Ursulae societati, & inchoatum in ipso monte Cervorum anno Domini 1422. ab Hugone ac Stephano Comitibus de Monte Forti, Dominis Bregantii & Pfannenbergi, pro 23. piis fororculis Deo ibi servitulis, quarum collectrix fuerat Elisabetha Simlerin Pfullendorffana, prima ejus loci Priorissa. Tactum est aliquoties fulmine, ac funditus dele-
tum,

tum, cumq; peregrinator quidam fatidicus respondisset Deo placere, ut ex monte in adjacentem vallem transferretur: anniuit & consensit Sigismundus Austriae Dux munificus ejusdem instaurator ac benefactor. Translatum igitur est anno Domini 1264. & primus lapis inferioris Cœnobioli positus à Suffraganeo Constantiensi, Domino Ulrico Comite de Monte Forti, & à Domina Barbara Comitissâ Amasiana, Jacobi Trappii Brigantini Praefecti conjugé. Praest ei nunc Apollonia Episcopa Kendelbæensis ab anno Christi 1532.

A LBA AUGIA Nariscorum aut potius Norici, no-
strate lingua *Weissenaw im Nordgew* / Cœnobium or-
dinis D. Benedicti ad Schwabachium amnem, quatuor lapidi-
bus à Noriberga, in Dicecesi Bambergensi situm: fundatum le-
gitur a Gebhardo Comite, ut aliquibus placet, de *Hirsberg*, aliis
vero de Calovia vel Kalaw: hodie Kalb vocant, qui Aystetensis
Ecclesiæ Episcopus, tandem post consanguineum suum Leo-
nem nonum, Comitem à Dagsperg Alsatam, Romanus etiam
Pontifex factus, Victor secundus cognominatus est. Coepit au-
tem Monasterium anno Domini 1053. sub Imperatore *Heinricus*
Nigro, quem Comitem quoq; Calowensem sive Kalwensem è *Niger*-
Suevia (ubi ad Nagoldum fluvium hodie adhuc in *Wirtember-* fundator.
geni) Ducatu, ejusdem nominis oppidum cum veteri arce, ho-
rum Comitum sede, extat) natum fuisse Annales referunt. Po-
stea annum Christi circiter 1130. quasi postliminio renovatum
& ampliatum est à S. Othone, octavo Bambergensi Ecclesiæ
Episcopo, Pomeranorum Apostolo, cuius corpus Bambergæ *S. Otto*,
in montis Monachorum Cœnobio à se liberaliter etiam donato, *Pomera-*
terrae mandatum est. Postremi hujus Cœnobii Abbates (de ve-
teribus enim expisciari nihil potui) fuere, qui sequuntur breviter *Apostolus*.
hoc loco annotati.

1. *Heinricus* præfuit annis sexaginta. Obiit anno Do-
mini 1503.

2. *Eucharius Gotzman de Buch* præfuit octo annis. Obiit
anno Domini 1511.

B 3. 3. *Henr.*

Brüderhij

Chronolog.
Monasterij
non Germa-
niae

S. III